BANCO DE ESPAÑA
Eurosistema

BIBLIO TECA

**Fosse, Ignatium del**

**En est apud Belgas Hispanorum theologorum epistimatio et reverentia, ut eos habere se in doctrina duces glorienti ... [Manuscrito] / Fr. Ignatium del Fosse.**

[Flandern : s.n., 1709].

Vol. encuadernado con 12 obras

Signatura: FEV-SV-M-00194 (03)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html

Aviso legal
*Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente*

Eximij Domini, ac Magistri nri.

Ea est apud Belgas Hispanorum theologorum existimatio, & reverentia, ut eos habere se in doctrina Duces glorientur: & vero se immunes ab omni erroris suspicione arbitrantur, si primariorum inter Hispanos Authorum sententias sequantur.

Non credidit R. P. Joannes Bapta. Taberna Avronen-bus meus dare publicae luci librum turpibus notis inurendum, quando Synopsim theologiae practicae concinnavit. Opus enim est moralis doctrinae principia complectens, cui omnium fere Hispanorum theologorum (tantum non dixi totius Orbis Xpiani) authoritas pro Clypeo esse potuit.

Interim placuit Illmo. Atrebatensium Praesuli in Patres Societatis minus bene animato ex illo opere tredecim propositiones seligere infamibus notis configendas. Certe in eo uno Patre petitur selectissima Virorum Doctorum Phalanx, & Hesperiae ignominia aspergitur.

Authoris quidem doctrinam, & famam defendit series trecentorum duodecim Authorum magni plerumque nominis, & omni sanctitate, dignitateque conspicuorum. Ostendit & typis libellus singulorum nomina, non tantum appellans, sed & textus vel totos recensens, vel loca indicans, ubi eos lector reperire possit, qui omnino

Verum quia non parum conferret ad eluendam censuræ inflictæ maculla viri probi, et docti nomini numerosisque illi hominum catervæ scientia theologica inclytæ, cujus se sequacem professus est R. P. Joannes Bapta. innotescere Belgio quid celeberrima vestra Universitas hodie sentiat de propositionibus ab Illmo. Atrebatensi improbatis, etiam, atque etiam rogo eximias Dominationes vestras ut de illis saltem sententiam non graventur.
Huic humillimæ petitioni meæ suffragaturas confido eximias Dominationes vestras, pari ac Salmanticensem Universitatem benignitate, quæ rogata à Rmo. Prædecessore meo mentem suam aperire super ijsdem propositionibus summa humanitate, et benevolentia annuere dignata est, pro eo quo flagrabat in sanam doctrinam, et virorum doctorum famam vendicandam, zelo.

Has porro propositiones meas his illisque multas notas annecto. Utinam eximijs Dominationibus vris. opera aliqua præstari hic à me possit, quæ me eâ quam peto gratia dignum efficiat. Ducam enim mihi maximo semper honori esse, et summa propensione, et toto voluntatis affectu.

Datum in Monasterio B. M. de Sancto Ordinis Cisterciensis in Flandria die 9a. 7bris 1704.

Eximiarum Dominationum Vestrarum

Humillimum, ac obsequentissimum servum
Fr. Ignatium del Hosse sacræ theologiæ